



00 Ge

...  
Sive  
de  
**PAULO BINOMINI**  
DISSERTATIO

*ad*  
**A&T. XIII. 9.**  
*Quam-*  
**SUFFRAGANTIBUS SUPERIORIBUS**  
**PRÆSIDE**  
**VIRO PRÆCLARISSIMO**  
**DN.M.JOHANNE CRAUSIO,**

Thum. Misnicô , Amplissimæ Facultatis Philo-  
phicæ Adjuncto,

*Domino Præceptore & Fautore suo omni honoris*  
*cultu prosequendo,*

*Publicæ disquisitioni submittit*

**JOHANNES GAUE, BERLIN.**

MARCH.

AUTOR-RESPONDENS,

*ad d. Octobr.*

**ANNO M. DC. LXVII.**

---

*JENÆ,*  
Literis JOHANNIS WERTHERI.

ILLUSTRI VIRO  
DOMINO  
JOHANNI CHRISTOPHORO

Veren / in Culm, JCto undiquaque celeberrimo,  
Reverendissimi ac Serenissimi Principis ac Domini , Domini  
CHRISTIANI, Ducis Saxoniæ, Julie , Clivie ac Monti-  
um, Postulati Administratoris Episcopatus Martisburgen-  
sis, Landgravii Thuringiæ &c. &c. Consiliario In-  
timo ac Cancellario Eminentissimo,

Domino ac Mæcenati suo incomparabili

Philologema hoc

humillime offere  
Illustris ejus Nominis  
demiss. cliens

M. JOHANNES CRAUSIUS,  
Fac. Phil. Adj.

# I. N. J.

Nter octo amanuenses Spiritus Sancti, per quos ei mysterium Novi Fœderis nobis parafacere visum est, non in extimam rejicendum est spondā. *Paulus*, cui plus, quam tertiam N. T. partem debemus. Nam ex XXVII libris ipsi XIV, ex CCLX capp. ipsi C accepta ferimus. Sicut autem pleraque omnia in illō sunt ἐξουσιούσια: Ita vel solum nomen quot exercuit ingenia, disquirentia inter se, ecquī Saulo Pauli vocamen conveniat? Evidem supervacanea & curiosa videri queat hæc nominis *ἀρετής*; Et esto sanè, puta, si quis anxiè & superstitione nimis in hanc curam incubat, & cardinem Eruditionis in eâ verti putet, aut inter ἔργα potius, quam πάρεργα numeret. Quandoquidem autem ipsi Spiritui Sancto non fuit dividiæ nomen hoc tangere; Plures etiam ex Patribus, quæ Græcis, quæ Latinis; plures, aut tantum non omnes ex Theologis, qui in Praxapostolum aut Epistolas Paulinas commentati sunt; plures etiam ex Philologorum primoribus penitiori consideratione dignum judicarunt hoc nomen: Et præterea aliquot antiquiores ritus Judaici circa illud veniunt observandi. Certè nec me Virgulam censoriam meritum esse arbitror, si in eodem argumento (cui enucleando disertissimus Patrum Chrysostomus integrum triduum impendisse fertur.) Vires pericliter, potissimum quod ab Autoribus passim variæ quidem recensentur sententiae, quas dum aliis gravioribus occupati sine Epicrisi dimittrunt, lectorem pariter incertum relinquunt. Quoniam igitur etiam in levioribus Veritatem invenisse jucundum, hallucinari vero minus est periculosum, tentabo, quid valeant humeri, quid ferre recusent. Et quia in hæc quæstione scriptores complures

antiqui juxta & recentiores in diversis locis, imò sèpè in còdem à seipsis dissentient locò ; Eò minus mihi vitio verti poterit , si non cum omnibus sentiam , sed liberè, modeste tamen sententiam pronuntiem. Esto igitur Bonò cum DEO

## CAPUT I.

### *Etymon nominum Sauli & Pauli.*

S. 1.

**A**Ntequam arcem ipsius causæ ingrediar , juvabit natales utriusque nominis Sauli & Pauli priùs paulò penitiùs investigare, quoniam id ipsum argumento suscepto lucis non-nihil fenerari potest. Sauli igitur nomen emissiis fintueor oculis, deprehendo Hebraicum esse ἸΑΝΨ nempè, ex radice ἸΑΝΨ postulavit, petiit , unde in participiō Paul emergit ἸΑΝΨ postulatus, quod dchinc nominascit , & more Hebræis non infrequenti in nomen proprium abit. In Græcō N. T. textu quinques retinetur Hebraicum Σαὶλ de Paulō usurpatum ( nam Act. XIII. 21. de Saulo Filio Kis semel occurrit) idque tunc, quando in vocativō, quem vocant, Casu compellatur Paulus, partim à Deō Σαὶλ, Σαὶλ τί με διώκεις ; partim ab Ananiâ : Σαὶλ ἀδελφὲ ἀνάβλεψον : In reliquis locis inflebitur ad formam Græcorum Σαῦλος.

S. 2. Non audiendi sunt proinde illi, qui Saulum ex Græcanicō σαὶλ deducunt, ac inquietum exponunt, eò, quòd ante conversionem in Ecclesiâ Christi magnas dederit turbas. Utin enim res ita habeat, & Paulus nondum conversus non quieverit in Ecclesiâ Dei oppugnandâ ; Erat enim λευκαινός φρ. τὴν Εκκλησίαν Act. VIII. 3. εμπνέων ἀπειλῆς καὶ Φόνου εἰς τὰς μαζήτας τὸν Κυρίον Act. IX. 1. πορεύοντος τὰς ὅπικα λευκάριας τὸ διόρθωτον τὸ χριστόν v. 21. Conversus verò non quieverit in eādem propugnandâ & propagandâ : Non tamen id propter fas est μεταβάσιν εἰς ἄλλο φρ. , & vocem domi natam aliundè accersere.

S. 3. Trabatur autem nomen Sauli in Veteri instru-  
men-

mentō primo Israēlitarum Regi ex Tribu Benjamin oriundo. Et quia Paulus noīter ipsius erat contributus, facūt m  
esse ferunt, ut pariter ipsi fuerit cognominis, solitos enim  
fuisse Benjaminitas nomine isthac non illibenter uti, quod  
tribui suā ex primō hujus nominis Rege splendorem acces-  
sisse arbitrarentur.

§. 4. Alterum nomen est Paulus, quod Romanum  
esse, ac idem valere quod *pūsillus* (unde voces *paulūm*, *paulu-  
lūm*) simplicissima & verosimillima est sententia. In histo-  
riis siquidem Romanis non raro occurrit. Et arbitratur  
**CAROLUS SIGONIUS** *Italus in Nominibus Romanis* Familiam A-  
emiliam, cui hoc nomen familiare erat, à parvā corporis  
staturā istud accepisse, quam eandem Paulo Apostolo tribuit  
**NICEPHORUS** *hb. 2. Hft. c. 37.*

§. 5. Nolim ergo pollicem premere illis, qui nomi-  
nis hujus Etymon quāsītū Græciam vel Palæstinam vel u-  
tramque simul adeunt. Illud faciunt, qui Παῦλος *parvus*  
καὶ εὐτίσιος mutant in Παῦλος, aut qui ad verbum παῦλος  
quiescere se recipiunt. Græcum sanè si esset nomen, forsan  
in antiquis Græcorum scriptoribus, Homero, Hesiodo, He-  
rodoto, Thucydide ejus vestigia comparerent, apud quos  
tamen illud vix ac ne vix quidem deprehendes. Deprehen-  
des verò apud scriptores recentiores, Plutarchum, Dio-  
nem, Appianum, qui res Romanas descripsérunt. Istud, qui  
radicem constitūnt ἡνός *operator* est, quod Paulus fuerit  
δερσίελος καὶ πεντηκέχειος, *industrius* & *accubuus* in negotiis  
suis expediundis; Aut Νῆσος *mimibulus*. Hoc, qui vocem constānt  
ex Νῆσος & άνλης *tibia* quasi os tubæ. Talium igitur origi-  
nationum autoribus, si pro allusionibus istas venditant, ut  
nigrum theta præfigere nolim, ita si pro veris Etymologiis  
habeant, rati reperisse se non, quod pueri in fabā, audient  
à Philologorum Senatu istud Horatii:

*O imitatores, servum pecus, ut mihi sapere  
Bilem, sapere jocum vestri movere tumultus.*

Vid. **GEORG. PASOR.** in *Lex. BECMANN.* in *Origg. L. L.* **DAVID**  
**CHYTRÆUM** in *Onomast. Th. ol.*

## CAPUT II

*Enarratio quatuor sententiārum de Nomine  
Pauli, quarum I Apostolo istud tribuit  
ante Conversionem inde usque à serpera-  
stris. II in Conversione. III post Conver-  
sionem. IV cum nomine Sauli idem facit.*

§. 7.

**D**E Nomine hactenus. Nunc ad rem ipsam. Et quidem de Appellatione Sauli convenit inter Autores, eam Paulo inde usque à Nativitate competere. De nomenclaturā autem Pauli immane quantum inter se dissentunt! Constitutam autem quatuor diversarum sententiārum classes; ad has enim revocari commodè poterunt, quæ hīc in disceptationem veniunt. *Vid. Pl. Rev. & Magnific. D. GERHARDUS, Precep-  
tor ac Promotor sancte devenerandus ad cap. I. Ep. Rom. Famili-  
liam ducant, & primum locum fortiantur illi, qui Pauli no-  
men ante Conversionem illicet in Circumcisione Apostolo in-  
ditum esse, atque eum ita à teneris unguiculis binominem  
fuisse contendunt, quod pertinent ex Antiquis ORIGINES  
CATECHETA ALEXANDRINUS in Epist. Rom. ANSELMUS in Epist.  
Rom. E recentioribus BALDUINUS in Epist. Rom. FRIEDLIE-  
BIUS in Theol. Exeget. WALTHERUS in Offic. Bibl. MATTH. MAR-  
TINIUS in Memoriali Bibl. aliisque. Facit pro hac sententiā,  
quod nomina infantibus recens natis à partu & quandam  
consueverint, & etiamnum soleant imponi, cuius rei locu-  
ples testis esse potest historia, quæ sacra, quæ profana. Con-  
fer in Veteri fœdere historiam Evæ, Leæ, Rachelis: In Novo  
historiam Nativitatis Christi & Johannis protobaptistæ. HO-  
MERUS idem docet *Odyss. lib. IX. v. 550. circa finem.**

Οὐ μὴ γάρ τις πάιεται αἰώνυμος ἐσ' αἰθρέων  
Οὐ νανός γέδε μηδὲ ἐθλός, ἐπὶν τὰ πτῶτα θύμωνται  
Ἄλλ' οὐτὶ πᾶν τίθενται, ἐπεινε τόνως τρυῆς.

*Non enim quisquam omnino absq. nomine est hominum*

*Ne-*

Neque ignavus, neque eximius, postquam primò nati  
fuerunt.

Sed omnibus imponuntur nomina, simul atque genuen-  
runt parentes.

Cui pariter suffragatur quotidiana experientia. Quoni-  
am igitur usitatè & ordinariè infantibus sive unum sive  
plura nomina indi solent; idem in Paulō contigisse pu-  
tandum est, nisi evidens aliqua afferatur ratio, quā evin-  
catur, recedendum hīc esse ab ordinariā viā, & extraordi-  
narium quid in Paulō admittendum esse.

§. 2. Secundum locum occupant illi, qui Paulum  
nomine hōc in *Conversione* & *Baptismo* ipsi conjunctō indigi-  
tatum asseverant. Rationes autem, cur in *Conversione* no-  
men etiam verterit, aut novum assumperit, à diversis pro-  
ducuntur diversæ.

(α) est CHRYSOSTOMI, THÉODORÉTI, THÉO-  
PHYLACTI, apud GERH. l. c. qui *Deum nominis* hujus Au-  
torem faciunt, declaraturum hāc ratione, se Paulum nunc  
sibi alcivisse servum. Sicut enim servis olim jure belli,  
coēmōnis vel alio titulo acquisitis nomina à Dominis  
pro lubitu imponebantur, vel etiam immutabantur in si-  
gnū Jurisdictionis; Ita & Spiritum S. Paulo tanquam  
servo recens capto nomen aliud imposuisse. Sed quid pro-  
hibet ipsum andire Χρυσόρρ̄ημον? Καθάπερ, inquit, δεσπότης  
οὐκέτι πειραμφ̄ω, είτε βελόμφ̄ω ἀντὸν διδάξει τινὶ δεσπό-  
τεσσι, μεταπέσοι αὐτὸν τὸ ὄνομα. Ούτω καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἄγιον  
ἐποίησε τόπον, καὶ τὸν ἐξ αἰχμαλωσίας τὸν Παῦλον ἔλαβε, καὶ  
περοφάτως ἡ ταύτη τῇ δεσποτείᾳ περοφάθων, Διὸ τότο μετέ-  
βαλε τινὶ περοφορίαν, h. e. Quemadmodum Dominus, qui  
sibi servum comparat, eīg. dominium suum in memoriam  
revocare vult, nomen ipsius immutat. Ita & Sp. S. tunc  
agit, & Paulum ex captivitate quasi accepit. Quoniam  
vero recens nunc huic dominio mancipabatur, ideo appella-  
tionem ipsius mutavit.

(β) est

(β) est DAN. HEINSII Exerc. sacr. l. VII. cap. 13. ex  
ritu baptismali nomen accersentis. In baptismō, inquit,  
qui Circumcisōni succedit, nihil mirum ritus quosdam in  
Ecclesiā praeferim Veteri servatos. Inter quos & nominis  
ipsius impositio, cui rei nominalia instituerunt Christiani.  
Nomen baptizandi dabant & accipiebant: Dabant tūm  
adulti, tūm infantes, cūm profiterentur nomen, quod in  
tabulas referebatur, nisi fortè antiquum, qui adulti essent,  
retinerent. Ita Saulus Paulus dictus; Cornelio ut & alius  
non paucis vetus hæsit. Et hoc trahit etiam illustrissimum  
locum 1. Cor. XV. 29. de Baptismō οὐαὶ τοῦ νεκροῦ, con-  
tendens agere eum de Christianā illa consuetudine impo-  
nendi nomina superstitum vel defunctorum baptizandis,  
qui οὐαὶ τοῦ μαναικοῦ in eorum vel honorem vel memo-  
riam baptizandi fuerint.

(γ) eorum est, qui putant Paulum induisse hoc nomen  
vel ex singulari pietatis zelō, quasi ne pristinum quidem no-  
men retenturus esset, quod velle videtur Autor Prologi in E-  
pist. Paulinas subiuncti N. Testamento Bæcleriano, quem EU-  
THALIUM DIACONUM vulgō faciunt, quando Paulum nomen  
mutasse, & ita eīc ἀνεγνῶσθεντος ζῆλον ad summum pietatis ze-  
lum aspirasse scribit. Vel modestie & humilitatis ergo, sicut &  
1. Cor. XV. 9. se sanctorum minimum appellat, quod HIE-  
RONYMUS & AMBROSIUS probant.

(δ) est WILHELMI SCHICKARDI apud BUXTORFFIUM in  
prefat. Concord. Ebr. qui conjicit fortè in signum pænitentie &  
veræ conversionis nomen Sauli in Paulum mutatum esse  
idque ex ritu apud Judæos recepto. Apud hos enim, ver-  
ba sunt BUXTORFFII, moris est, ut gravi ac diuturnō mor-  
bō laborantes, in summō ejus incrementō nomen, quod  
prius habebant, mutent, novumq. asciscant, quod deinde  
per totam vitam retinent, quō factō statuunt mutatio-  
nem simul Morbi vel ad Vitam vel ad mortem fieri. Re-  
censetur ab illis hac mutatio nominis inter signa pæniten-  
tia,

tie, quâ talis vult testari ac vorvere, se unâ cum nomine  
vitam & actiones suas in melius commutaturum, itâ ut  
plane aliis ac novus homo videatur. De hoc legitur in  
Talmud Traft. fol. 16. Col. 1. ר' יצחק ר' דבש השנה :  
אמר ר' יצחק ר' דבש השנה של אום אלו הן  
זכריה עזקה שינוי השם ושינוי המערה :  
*Dixit R. Isaac, quatuor res rescindunt sententiam judi-  
cialem hominis, videlicet eleemosyna, vociferatio, muta-  
tio nominis & mutatio operum.* Illustratur hoc ibidem,  
quantum ad mutationem nominis, exemplo Sarz, quæ mu-  
tatio nomine benedictionis particeps & puerpera facta fue-  
rit: Et additur, mutationem quoque loci à nonnullis hue  
referri. Idem habet Maimonides in Halachos Teschubha  
libri Jad: מדרת התשובה לחוותה והשב צוועק תмир  
לפניהם השם בכלי ובתחנותם ועובד זרוכת  
כפי כחו ומתרחק מן הרבר שוחטן בו ומשנה  
שםו כלומר אני אחר ואני אותו האיש שמשנה אותו  
המעשים ומשנה מעשייו כלן לטוביה ולזרע ישרח  
ונגולת ממקומו שנגלוות מכפר עון : Ex Ritibus pa-  
nitentiae est, ut paenitentiam agens, jugiter clamet ad  
Deum cum fletu & deprecationibus, ut pro facultate suâ  
Eleemosynas largiatur, ut elonget se procul à re illâ, in  
quâ peccavit, ut nomen suum mutet; quasi diceret: Ego  
non sum vir ille, qui actiones istas perpetravit, ut in  
melius mutet omnia sua opera, ac denique è loco suo mi-  
gret. Nam exilium expiat iniquitatem. Formula Ora-  
tionis, quâ utuntur Judæi periculose decumbentes in mi-  
tando nomine, ex librò precationum Judæorum Italo-  
rum hæc affertur à laudatô Buxtorffio in synag. Judaic.  
cap. 49. p. 696. Misereatur Deus super N. N. viteę ac va-  
letudini pristina eum restituat, voceturę nomen ejus in  
posterum N., latetur in Nomine hoc suo & confirmetur il-

*lud int eō. Sit quasō beneplacitum tuum ô Deus, ut mutatio nominis ipsius faciat ad abolendum ab eō omnia decreta dura & mala, & ad lacerandam sententiam contra ipsum latam. Si mors decreta est super N. (nomen prius) non tamen decreta est super N. (nomen posterius ex novo) si decretum malum factum est contra N., non est factum contra N. En hāc horā est quasi Vir alius, sicut Creatura Nova &c.*

S. 3. Sed properandum est ad tertiam classem eorum, qui diu post Conversionem ovopat *Gēcias* Pauli factam esse statuunt, eō, quod tum demū nomen hoc de Paulō usurpetur, hiisque rursus in duas scinduntur partes.

(α) AMBROSIUS CATHARINUS Italus, & ALPHONSUS SALMERO in Epist. Rom. contendunt hoc factum esse X circiter Conversionis anno, tunc scilicet, quando Paulus cum Barnabā ab Ecclesiā Antiochenā jussu Sp. S. segregatus fuit ad prædicandum gentibus Evangelium Act. XIII. 2. Ibi enim cum novō officiō novum quoque ipsi collatum esse nomen, perindē ac Filii Zebedæi Jacobus & Johannes à Christo ad Apostolatum vocati cognominantur,

*βαύσεγές, filii tonitru Marc. III. 7.*

(β) Alii XI Conversionis anno, post conversum scilicet Sergium Paulum ab Apostolō factum hoc esse volunt; idque vel amicitie cum Proconsule initæ ergo, perindē ac quondam Eusebius Cæsareensis Pamphilus vocatus est ab amicō suō Pamphilō Martyre, aut ut liberti dominorum nomina ferre solebant, quod placet Cæs. BARONIO Cardinali: - Vel in memoriam victorie à Sergiō Paulō converso relatæ, ut quâ ratione Scipio subjecta Africâ Africani nomen sibi sumpsit, & Metellus Cretâ Insulâ subjecta insigne Cretici suæ familiae reportavit, & Imp. Romani ex subjectis Gentibus Adiabenici, Parthici, Sarmatici nuncupantur, ita & Paulus ad prædicandum gentibus Evangelium missus, à primō Ecclesiæ spoliō Sergiō Paulō victoræ sua tropæa retu-

tulerit, erexeritque vexillum, ut Paulus diceretur ex Saulo, Amplectuntur hanc sententiam HIERONYMUS in Catal. Script. Ecclesiast. Cum primum, inquiens, ad prædicationem ejus Sergius Paulus Proconsul Cypri credidisset, ab eo, quod eum Christi fidei subegerat, sortitus est nomen Pauli. Et AUGUST. lib. 8 Confess. c. 4. his verbis. Cum Paulus Proconsul per ejus (Apostoli) militiam debellatâ superbiâ sub leni jugo Christi missus esset, Regis magni Provincialis effectus, Ipse quoque ex priori Saulo Paulus vocari amavit ob tam magna insigne victorie.

s. 4. Superest quarta & ultima Classis eorum, qui nomen Sauli & Pauli idem proorsus esse contendunt, æquè ac Jochanan Ebræorum, Joannes Græcorum & Latinorum, Hans Germanorum, Jean Gallorum, Giovanni Italorum unum idemque nomen exprimunt. Ita THEOD. BEZA in Cap. XIII. Actor. Quem Judæi & Syrii Schaul vocant, idem à Gracis, qui eò tempore Romanus nominibus magis assueverant, Paulus fuit dictus, propter summam horum nominum affinitatem. Cum igitur ab hoc tempore atq[ue] ad eò ab hac historia incipiat Paulus suo illo inter gentes Apostolatu defungi (prius enim non nisi inter Syros & Iudeos erat versatus) meritò incipit ab hac historiâ Lucas illud nomen ei tribuere, quod ipsi perpetuum postea fuit inter gentes, quibus videlicet nunquam desistit Evangelium prædicare. Ac facile mihi quidem persuadeo, primum à Proconsulis Roman. familiâ ita vocari cepisse. It. ERASMUS in Rom. I. Arbitror Paulo primum Hebreo nomen Hebraicum inditum Saul. Nam hoc nomine compellat illum Christus in viâ. Σαῦλ, Σαῦλ τί με διώκεις, Saul, Saul, quid me persequeris. Deinde quoniam Aegyptus Cilicia, & huic finitima Syria pars, propter Alexandri M. imperium & postea Romanam administrationem, jam ferè Græco Sermone utebatur, Hebraicam vocem in Græcam

formam fuisse deflexam, quod Graci nullum habeant vocabulum in & desinens, atque ita ex Saul factum esse Saulum, quemadmodum & hodie Latini ex Adam faciunt Adamum, ex Abraham Abrahamum, ex Joseph Josephum. Deinde quoniam Pauli nomen juxta Gracis ac Romanis erat familiare, & Saulo rursum factum esse Paulum, ut vocabulum etiam libenter agnoscerent, quorum se Doctorem profitebatur, & hic quoque omnia fieret omnibus. Ipse certe hoc nomine perpetuo usus est in scriptis suis. Et JOH. DRUSIUS Præter lib. V. p. 180. Saulus & Paulus ita differunt, ut Jesus & Jason, Dosthai & Dostheus, Simon & Simon id est Σιμών, Tarphon, & Trypho, id est τρυφόν, quod est nomine mere Gracum. Confer. & BARTHIUM citatum cap. seq. §. 2.

### C A P. III

Epicrisis de quatuor sententiis, ex quibus  
I probatur. Difficultates, qua II, III &  
IV premunt, producuntur.

§. 1.

Inquirendum nunc ulterius est in recensitatum hactenus sententiarum fundamenta, ut constet, cuinam calculus potissimum adjiciendus. Et sanè illico prima, qua Paulum à Juventute facit binominem, & antiquitate & probabilitate suā præ ceteris se mihi commendat. Non enim sonica hic appetat caufa, cur regia & communis οὐοαγθείας in Juventute fieri solita sit deserenda via. Non equidem ignoro, interdum etiam hominibus adultis nomina sive mutata, sive nova superaddita fuisse, ut docent exempla Abrahæ, Jacobi Patriarchæ, Petri Apostoli. Verum id inter rariora & extraordinaria numerandum est, & ideo admittendum, quod id evidenter doceat Scriptura, qua quia in aliis hoc tanquam peculiare recenset, in Paulō verò, cuius tamen historiam præcepis diligenter enarrat, id ipsum non docet, hoc potius

pro

pro hac sententiâ, quâm contra eam militabit. Adde quod Act. XIII. 9. ubi utriusque hujus nominis simul sit mentio, Sp. S. non dicat, Saulus qui nuper vocatus est aut nunc demum vocatur Paulus, sed absolute dicit: Σαῦλος ὁ ἦγε Παῦλος, edocerurus, nisi me fallit animus, utriusque nominis eandem rationem esse, & utrumque Paulo ordinarie & eodem modô eodemque jure competere.

S. 2. Neque verò insolens putandum est, quod Judæi vel duobus nominibus, vel nominibus Græcis aut Romanis sint insigniti. Adducam hanc in rem antesignanos Philologorum: Sic autem ERASMUS in argument. Epist. Rom. Mihi vero propior videtur Origenis opinio, quemadmodum in Veteris Instrumenti libris aliquot conperimus, diversis nominibus notatos, velut Idida dictum, qui alias vocatus est Salomo, & Ozian alicubi dictum, qui alibi sit Azarias. Item in Evangelicis literis Luca dictum Levi, qui se in suo Evangelio Matthæum nominat, ita Paulo geminum fuisse. Vocabulum. JOS. SCALIG. lib. 3. Canon. Isagog: Major pars Iudeorum binomines erant, alterò nomine Judaico, altero Græco, ut Janneus Alexander, Joakimus Alcimus, Jesus Jason, Onias Menelaus, Johannes Hircanus, Paulus Saulus, cuius nominis Latini non prius est mentio in Actis, quam ad gentiles missus est, quibus notior erat Romana appellatio, quam Iudaica. Et totidem propè verbis DRUSIUS l.c. Major etiampars Iudeorum binomines erant, alterò nomine Judaicò & alterò Gracò. Janneus Alexander, Joakimus Alcimus, Onias Menelaus, Johannes Hircanus, Alexander Salome &c. Quibuscum facit & πολυμαθέσις CASP. BARTHIUS Advers. lib. VII. c. 4. p. 317. qui postquam monuisset suprà, Judæos ultimorum temporum nominibus promiscuè tamen Græcis, quam Latinis sese censuisse, subjecit porrò. Insuper verò non omittendum mihi vide-  
tur nomina Græca eos junxisse native Lingue eorum He-

braice, ut simus utrāque appellari potuerint. Exempla occurunt in Mattheo, qui & Levi Gracē Hebreos sermone nominabatur, ut ex ipsius Matth. IX. Marc. II. & Luc. V. capp. inter se comparatis discimus. Ita & Marcus suā maternā linguā Johannes audiebat, ut clarum ex Act. XII. Extremō pariter exemplo Petri, qui Cephas alioqui nuncupabatur. Sed notandum in accessionem quoque Latina cōdem tempore vocabula addita illustribus nascentis Christianismi virus, qualis est Aquila, qualis fæmina pri- scia, qualis itidem Junia & Urbanus nomina Romana cap. XVI. Epist. Rom. Qualis Simon cognomento Niger Act. XIII. Atque eandem hanc causam dandam existimo, cur Paulus voluerit nominari deinceps Apostolorum ultimus simul & primus, doctōrē gentium, cum prædicaret Evangelium Gracis & Latinis, cum antehac Saulus nominaretur, idque nomen ignotius gentibus foret, quarum Idiotismo ut accederet, unam literam mutare non renuit, idq. cō tempore, quō Sergium Paulum Proconsulem, compescitis Elime Bar'jehu præstigis, verā doctrina Christo lucrificat, ut vi- des, tum primum ei utrumque nomen adscribi Act. XIII.

§. 3. Cūm igitur inter Judæos illius temporis usu fuerit receptum, ut nomina Romana sibi asciscerent; Multò minus in Paulō civi Romano mirandum est, præter Gentiliū Sauli nomen ipsi quoque nomen impositum fuisse Romanum, quod jus Civitatis, quō se ipse tuetur Act. XVI. 37. c. XXII. 3. testari posset; Sive illud jus commune fuerit Paulō cum reliquis Tarsensibus, indeptis id ipsum à Juliō Cæ- sare ejusque successore Augustō, cuius utriusque partes in bellō Civili strenuē adjuverant, quod quidam volunt, unde & ex Dion. Cæs. l. 47. colligit F R I E D L I B I U S, Tarsum inde Julopolin dictam esse; sive id solis Pauli Majoribus tributum sit, ita ut simul nomen quoque Pauli acceperint ab iis, quo- rum beneficio civitatem Romanam erant consecuti, exemplō

Cajī

Cajii Valerii Caburi à C. Valeriò Flaccō civitate donati *Ces.*  
*lib. i. bell. Gall. c. 47.* & Demetrii cuiusdam per Dolabellam jus  
Civium adepti, & inde Publili Cornelii nomen ferentis apud  
*Cicer. lib. 13. ad fam. ep. 36.* ut vult **S C I P I O G E N T I L I S J E S U S**  
Comment. in Epist. Philem. c. 3. qui & priorem sententiam de to-  
tā Tarsensium Civitate Civitatem Romanam adepta falsita-  
tis arguit.

§. 4. Urgetur autem contra hanc sententiam, quod  
Pauli nomen nunquam tribuatur Paulo Juveni in Scripturā,  
quod tamen fieri debebat, siquidem ille eō fuisse insignitus?  
Verum enim verò responderi potest, sicut aliàs à *Negatione a-*  
*Etus secundi vel usurpationis ad negationem actus primi vel possessionis*  
*non licet argumentari;* Ita nec hīc sequitur; Paulus non  
usurpavit alterum nomen in juventute, E. nec habuit: quan-  
doquidem & nostris moribus frequenter venit usū, ut perso-  
næ multinomines unō saltim censeantur nomine, reliquō aut  
reliquis dissimulatis. Ita Zachariæ, à Judæis lapidibus obruti  
inter templum & altare, parens Matth. XXIII. 35. vocatur  
Barachia, quod nomen in V. T. nullibi usurpatum de eo,  
sed *semper nomen Jojada,* non tamen ipsi idē non competitissē  
concedent Theologi. Quod autem Paulus, quamdiu versatus  
est inter Judæos & Syros, Sauli, postquā verò transit ad Græ-  
cos & Romanos, Pauli nomine nuncupatus est, ideo conti-  
gisse videtur, quod illis prius, his contrà posterius nomen  
notius & familiarius esset.

§. 5. Secundæ Sententiaz, quā in Conversione Apo-  
stolus Pauli nomen abdicatō pristinō accepisse dicitur, obstat  
partim, quod in historiā Conversionis nec vola nec vesti-  
gium hujus rei extet, partim quod multoties adhuc post Con-  
versionem c. IX. XI. XII. XIII. Act. Paulus vocetur; Unde  
*E R A S M U S in argument. Epist. Rom. Sententiam banc* (quod  
mutatā Religionē simul & nomen mutaverit) *planè refellit Lu-*  
*eas, quod cum aliis aliquot locis, tum in eodem cap. Saulus dicitur*  
*jam Christi predicans Evangelium.* Et *BARTHIUS l.c.* Non accedimus  
opinioni summorum alioqui Virorum, qui mutasse prius *Vocabulum*  
dicunt *Apostolum*, id enim si fecisset, non opus erat *Evangelistæ adjun-*  
*gere*

gērē Σαύλος ἡγετὴ Παῦλος. Sed speciatim singulas rationes  
in περιστήσαις nunc expendam.

(α) CHRYSOSTOMI igitur Conjecturæ, quā divinō  
jussu Paulus fertur mutasse nomen, ut subinde menor esset  
servitutis Deo præstandæ, respondeo, de Romanorum quidem  
servis constare, ipsos ita oportuisse mutare nomina, de Dei  
verò Ministris non, quippè qui absque hoc poterant officii sui  
esse memores.

(β) HEINSIO respondet B. D. JOH. MAJOR.  
Exegem. Praxapostoli ad c. IX. 18. Oppido, inquiens, fallitur,  
illa enim nominum in tabulas relatio, que hodiè bapti-  
smo conjuncta est. Et die lustrico peragitur, quæq; olim in Ec-  
clesia diptychis, triptychis, aut polypyrycbis seu Commentariis  
asservabatur, baptismati non ex instituto Divino, sed hu-  
mana tantum ad inventione accesit, quemadmodum &  
Circumcisione in V.T. Hanc autem aevò Paulinò usū receptam  
fuisse nescia dictrina est, neq; credo Heinsium se tuiturum  
esse diatryps Clementis, Hierarchiā Ecclesiasticā Dionysii,  
aut Canone XXX. Synodi Nicene ab Alfonso Pisano editæ,  
scriptus pridem à Vulgo Criticorum virgulâ censoria notatis  
ac obelò confosiss. Quod porrò provocat HEINSIUS  
ad i. Cor. XV. 29. respondet idem. Quasi verò non aliquot  
millia Gentilium citra ullam spem avavōσεως qua de Apo-  
stolo sermo est, demortuorum nomina assumperint. Inde  
enim nomen Claudio Lysie Act. XXIII. 26. Flavio Josepho,  
aliis, adeò ut videatur omnino ad locum obscurissimum pene-  
trandum, alias plus ingenii & eruditioris addo & accusa-  
tionis contulisse. Vid. de h. l. WALTHER. in append. Harm.  
Bibl. Excell. DOMINUS BOSIUS Præceptor meus colen-  
dissimus in Dissert. de Clericis & nuper Dn. D. Henricus  
MÜLLERUS Theologus Rostochiensis in Dissert. de hoc  
loco.

(γ) Ad conjecturam eorum, qui vel obpietatem vel hu-  
mili-

militatem Paulum nomen mutasse volunt & ita quidem ipsum facere potuisse, fecisse v. nullibi dicitur.

(d) SCHICKARDI σοχασμός ut eruditus est, et si potior non occurrat, non insuper habendus: Ita hīc, ubi facilior se offert extricandi ex difficultatibus semita, meritò hāc præ illa calcanda est, maximè cum de antiquitate istius ritus pœnitentialis nihil constet.

§. 6. Tertia sententia eorum, qui post Conversionem Paulum hoc nomine indigitatum esse arbitrantur, præter id, quod destituitur suffragio Scripturæ, etiam aliis premitur difficultatibus, & quidem.

(a) CATHARINO obstat, quod post ablegationem ex Ecclesiâ Antiochenâ factam Act. XIII. 3. adhuc bis vocetur Saulus v. 7. 9. Exemplum Filiorum Zebedæi causam vix juvat; Hos enim Boanerges vocatos esse aperte docet Scriptura, Paulum non item. Addo, quod illud nomen appellativum potius sit, quam proprium, de quō hīc controvèrtitur.

(β) Illis, qui à Sergiō Paulō nomen derivant, fraudi est, quod ante Conversionem ejus jam tūm vocetur Paulus Act. XIII. 9. In V. 12. autem demùm fit mentio Sergii Conversi. Unde ERASMUS l.c. Opinionem hanc minus probabilem facit, quod Lucas hoc ipso capite scribit; Saulus, qui & Paulus, repletus Sp. S.; haud obscurè declarans, eum binominem fuisse, priusquam Sergius à Paulō esset conversus. Neque ad ωεληψιν hīc configiendum est, ubi nulla urget necessitas. Cadit ergò simul sententia BARONII, quasi amicitiæ ergò nomen Sergii alterum assumserit Paulus, maximè cum nullibi referatur, quod Apostolus Sergium hunc ex omnibus amicis habuerit eximium: Cadit assertum HIERONYMI, quasi nomen illud tropæi vice sibi crexerit Paulus, cumpromis, quod censente BARONIO, Paulinæ Modestia, gentium more ex obtentâ Victoriâ gloriæ insigne sibi sumere, non conveniens videatur.

§. 7. Tandem ultima sententia, quæ nomen Sauli & Pauli propter affinitatem planè pro eodem habet, nec aliter

differre statuit, nisi quod illud sit Ebraici idiomatis, hoc verò Græci, unicā saltim literā mutatā, improbabilis ex eō redditur, quod Petrus, qui tamen Ebræus est, & ad Ebræos scribit 2. Pet. III. 15. non Saulum vocet, sed Paulum. Quod si verò Saulus esset idiomatis Eberini, debebat constanter ab Ebræis ita appellari, nec Græcus vel Romanus idiotismus assumi. Adhac Idiotismo Græco vel Romano videtur jam tūm satis indulsum esse, quando ex Schaul facta est mollior Vox Σάυλος, ut proinde non opus sit ulteriori metamorphosi. Adde, quod alioqui evidens sit, nomen Sauli totō cœlo differre à nomine Pauli, eō, quod illud Hebraicum, hoc Romanum sit. Quæ Ergo Urgens Causa est, nomina alias diversissima hīc pro eōdem velle venditare? Sed manū de Tabula. *Plum qui volet, adeat THOMÆ MASSUTII Recinetensis Jesuī librum de vita Pauli, Lugduni anno 1633. editum. Conf. omnino Ampliſſ. Dn. CHRIST: FRID. FRANCFENSTEINS OBSERVATIONES in Epist. Philem. pag. 19. seqq. & B. GLASSIL Philolog. S. lib. IV. Tract. 3. observ. 5. § 12.*

---

## COROLLARIA.

- I. *Subscriptiones locales Epistolarum Paulinarum non sunt extra omnem dubitatis aleam positæ.*
- II. *In subscriptionibus numericis librorum, tūm historicorum, tūm dogmaticorum N.T. sic non notat versum.*
- III. *Jacobus Autor Epistola Catholica non est Filius Zebedai.*
- IV. *Diversitas Styli non statim arguit diversitatem scriptoris.*

Gau

**G**au Salaidos non ultima portio nostræ,  
Pectus cui fixit Deus ex meliore metallo,  
Solicite Pauli dum nomen discutis, ipse  
Hoc simul assequeris, ne post sine nomine vivas.

*Praestantib. atque Politib. Dn. Respondentib.  
Autori, Fautori & Amico multum a-  
mando & honorando bene ominusba-  
tur*

## P R A E S E S.

**E**vadas ~~Exed~~ selectum, comprecor, Almi,  
Quale fuit, cujus nomen utrumque doces.

*Per Exim. & Literatib. Dn. GAUEN, Conterra-  
neo & Amico meo honoratib., cum publi-  
cam cathedram plaudentibus Salanis  
Musis maximâg, cum laude animaret,  
puri puti affectus testandi ergo stante  
pede deproper.*

M. Petrus Vehr, Berl. March.

**N**omina bina TIBI cordi est dum quærere: PAULO  
Invenis en! felix, invenis atque TIBI.

Ars tua dat laudem, virtute parantur honores:  
Hinc meritè surgunt nomina bina TIBI.

*Hacce pauxilla Eximio atque Doctissimo Dn.  
Autori-Respond. properante calamo gra-  
tulabundus effudi*

M. Joh. Henricus Syrbius,  
Schönbrunno-Miñicus.

**T**andem tanta capit, mi Gau, præmia crebræ  
Sedulitatis homo, tantumque ascendit honoris  
Culmen, quem à pucro fugit vigilantia nulla.

Ad

Ad claræ Sophiæ summos Te tollet honores  
Mox tua sedulitas, & cinget tempora fronde.  
Cuncta tua in Summi laudes suscepta Jehovæ  
Pectore sincero cedant feliciter opto.

Hunc paucis eruditissimo Domino Respondenti  
amico argè commensali suo dilecto gra-  
tulari debuit

Hardovicus Henricus Rhoden,  
LL. Studiosus.

IS certè est felix & terque quaterque beatus  
Qui voti & casti compos amoris amat.  
Is verò est sapiens, qui, quod complexus amore  
Est semel, in cœpto pergit amare modo.  
Hoc, mi Gaue, facis; viridi succensus in ævo  
Pieridum flammâ pergis amare mora  
Quod jam testantur Salanæ pulpita nostræ,  
Dum Pauli nomen volvis utrumque benè.  
Perge, tuum nomen quum semper in orbe virabit  
Tempore, pro meritis præmia digna feres.

Paucula hæc Peregrinio atq; doctissimo Dn. Gau,  
amico & fautori suo singulariter dilecto,  
gratulabundus apposuit

Christianus Eichler/ Altenb. Misn.

Enucleas doctâ PAULI dum mente vocamen,  
Famosâ, GAUI, sedulitate micas.  
Gratulabundus applaudit Domino Contubera-  
nali & Commensali suo perquam dilecto  
David Henricus Lincke/ Freib, Misn.  
S. S. Theol. Stud.

F I N I S.

5A

AB: 155735 (1)



80

WZL



